



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1612**

2 Quot modis mutuu[m] diuidat[ur].

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14014**

ideo in ceteris rebus in mutuum ire non possumus, quia aliud pro alio, invito creditore, solui non potest. *l. 2. §. Mutui datus ff. de Rebus creditis.* (Res numerum) dicitur pecunia. (Res ponderis) quae ponderatur, dum traditur, ut aurum, argentum, & omnia metalli genus. (Res mensurae) quae datur in certa aliqua mensura, ut oleum, vinum, mel, sal, frumentum, & alia liquida, vel arida, quae mensurata credi solent. *Hac omnia dicuntur in l. 2. §. Mutui ff. de Rebus creditis.* (Functionem in suo genere recipiunt) quia quoad usus hominum pertinet, res huiusmodi quando sunt eiusdem generis, hoc est, speciei, & formae, ut Dialectici, & Philosophi loquantur, perinde nobis sunt viles, ac si essent in substantia, & numero eadem, dummodo sint in bonitate pares, ac proinde in eodem genere functionem recipiunt, quia una, alterius in eodem genere vim supplet, ac reddit. Vnde fit, ut quidam contendant in definitione mutui esse addendum: (ut tantundem nobis reddatur aequè bonum:) non enim licet debitori rem reddere de teriore etiam eiusdem generis, veluti vitium novum pro veteri. *l. Cum quis ff. de Rebus creditis.* sed satis est si in definitione dicatur: (ut tantundem nobis reddatur:) quia cum debitor rem aequè bonam non reddit, non restituit quantum accepit. (Datione) quia res mutuo data, transit in dominium eius, qui mutuum accipit. Vnde mutuum distinguitur à deposito, commodato, locato, & pignore: in his enim dominium rei ad accipientem non transfertur, ut tantundem eiusdem generis reddatur, ut ita etiam differat mutuum à venditione, & permutatione, nam in venditione pretium, quod pro re vendita recipitur: in permutatione redditur res diuersi generis, ut oleum pro vino.

Ex his omnibus intelligitur, ei qui mutuum accipit, concedi rei mutuo datae usum. Et quia usus rei mutuo acceptae est consumptio, ut pecuniae, panis, & vinum consumuntur, & pereunt statim ipso usu, hoc est, non prius utilitatem, & emolumentum asserunt, quam perimantur ideo mutui dominium ad accipientem transfertur, quia in rebus, quarum usus in consumptione consistit, dominium ab usu non separatur. Quare is, qui mutuum accipit, tantundem in genere suo, quantum accepit, restituere debet in omnem euentum: hoc est, etiam si res mutua accepta fortuito perierit: quoniam res suo domino perit. Vnde in *l. Incendium. C. Si certum petatur*, habetur: (Incendium aere alieno non exiit debitorum.) Vbi Glossa: Generis debitorum, inquit, hoc est, quando aliquid eiusdem generis debetur, perire non potest. Sensus est: Quamuis fortuito perimatur, debetur, quia aliud eiusdem generis est reddendum. Et *Instit. Quibus modis re contracti oblig. §. Item is cui* ita dicitur. (Et is quidem, qui mutuum accipit, si quolibet fortuito cauamiserit, quod accepit, veluti incendio, ruina, naufragio, aut latronum, hostiumue incuris, nihilominus obligatus remanet.)

#### Quot modis mutuum diuidatur.

#### CAPVT II.

**M**VTUUM, Iuris ciuilis interpretes primo diuidunt in Naturale, & Ciuile. Bartolus, & alii in *l. 2. ff. de Rebus creditis.*

Naturale mutuum est, cum tibi re ipsa numero pecuniam meam, vel aliud do, quod pondere, mensuraue constat. Nam ex ipsa numeratione pecuniae, vel traditione rei oritur naturale mutuum, quod parit obligationem.

Ciuile verò diuiditur sic: Aut enim est simpliciter ciuile, aut est ciuile quidem, sed cui ipsa natura suffragatur. Mutuum simpliciter ciuile est, quod ex sola iuris ciuilis potestate vim habet: ut si filius familias ex peculio profecticio dederit mutuum pecuniam alteri: tunc enim, qui recipit

parti obligatur, quamuis ille nihil numerauerit: ius enim ciuile fingit, patrem illam pecuniam numerasse, & vult, ut ex contractu filii ius patri acquiritur. Et idem iuris est in seruo: de qua re in *Instit. Quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicitur.* Item si depositum autem apud te, & permisi, ut illis vitis, depositum traasit in mutuum, quamuis non ut mutuum, sed ut depositum, ab initio numerauerim: Ius tamen fingit intercessisse denovo numerationem. *l. Certi cond. §. Depositi, §. l. Quod si est, in tit. ff. de Rebus creditis.* Si quis itidem speculatur non numerationem fatetur in chirographo se mutuo accepisse decem, cum tamen non accepit, sed sperabat se recepturum, ex illa litteratoria obligatione nascitur ciuile mutuum post certum tempus, quia tamen pecunia numerata non est, voluit tamen ciuile ius, ut oriretur obligatio post biennium, nisi meruaturus ostendat, ac probet pecuniam numeratam non fuisse. *l. In contractibus, C. de nouo num. pecun. §. Instit. de litter. oblig. in princ.*

Mutuum ciuile, cui natura ad stipulatur est, quando quis pro nitit alteri per stipulationem date mutuo centum, & stipulationem ipsam consequitur statim numeratio, vel potest proxime. *l. Si ita stipulatus fuero. §. Chrysogonus ff. de verborum obligation. stipulationem enim, ius ciuile introduxit, ac natura, ipsam numerationem.*

Item, si quis me rogauerit, ut mutuum aliquid ei dem, & iussero debitori meo, ut det illi pecuniam meam, mutuum contrahitur. *l. Singularia ff. de rebus creditis.* Insuper, si quis mihi debeat numeros ex alia causa, videlicet, ex locato, ex vendito, & consensito, ut eos mutuos habeat, mutuum est. *l. Singularia ff. de rebus creditis.* Praeterea ipsa pecunia, etiam furto subacta alieni, si consumitur ab eo, qui accepit, vel ab alio iussu ipsius, dicitur mutua haberi. *l. Si à furioso. §. l. Nam et si fur. ff. de rebus creditis.*

Item, quando res aliqua, quae in pondere, mensura vel numero non consistit, datur alicui aestimata pretio, ut pretio ipsius vitatur, contrahitur mutuum. *l. Si pro mutua. C. si cert pet.*

Secundò, Mutuum diuiditur ratione rei, quae mutuo datur. Aut enim est rei, quae consistit in numero, ut pecunia, aut in pondere, ut in massa argenti, vel auri, aut in mensura, cuiusmodi est vinum, triticum, vel oleum, & similia.

Tertio, Mutuum diuiditur ratione temporis: aut enim mutuum datur ad certum tempus, vel ad incertum, quamuis non perpetuum, ut si tibi dem mutuum pecuniam, qua possis librum transferre, vel domum reficere, vel agrum colere.

Quarto, Mutuum diuiditur ratione personae: aut enim mutuum datur solum ad utilitatem, & commodum eius, qui accipit, aut solum in bonum eius, qui dat, aut gratia, & causa vtriusque: quemadmodum de Commodato dicemus.

Postremò, Mutuum diuiditur ratione modi: aut enim est mutuum expressum, aut est tacitum, & implicitum. Expressum est, cum tibi mutuum do, & numero centum. Implicitum verò, quod in aliis contractibus virtute contrahitur. Ut verbi gratia, in empto, & vendito, vendit Titus Caio, credito pretio, merces, id perinde est, ac si tunc Titus mutuo dedisset Caio centum, quibus merces aestimantur. Rursus emit Caio à Titio anticipato pretio futuros fructus vineae, perinde est, ac si Titus à Caio mutuo accepisset centum, quibus futuri fructus emantur, & postea clausus apparebit.

\*\*

\*